





10  
den

I

5

CVo 35

Zum Wohlwille der Königl. Hochschule  
München in der Hauptstadt.



---

---

DEI GRATIA  
CATHOLICAE  
UNIVERSITATIS  
ALMA MATER  
IENENSIS  
LIBRARIUS  
P. H. RITTERI

---

---

SPIRITVS CHRISTI.

---

---

AD  
SACRA PENTECOSTES  
RITE CELEBRANDA  
IN ACADEMIA IENENSI  
PROPOSITA MEDITATIO.

---

---

LITTERIS IO. FRID. RITTERI.



DEI GRATIA  
GVILIELMVS HENRICVS,

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS THV-  
RINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCEPS COMES  
HENNEBERGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBER-  
GAE, SAYNAE ITEM ET VVITGENSTEINII,  
DYNASTA RAVENSTEINII,

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMVS

SPIRITVM CHRISTI PRECATVR  
C I V I B V S.

**Q**UEM in religione nostra christiana vt verum deum ac ter-  
tiam in diuinitate personam profitemur diuinoque pro-  
sequimur cultu, in sacris litteris eum non solum adpella-  
ri spiritum sanctum; verum etiam ea praese ferre nomi-  
na, quae speciatim referunt sese vel ad patrem; vel ad filium, satis  
notum pariter ac euidentis est. Dicitur enim *spiritus oris patris*,  
*ps. xxxiii, 6. spiritus patris dei, Matth. iii, 16. xii, 18. spiritus*  
*christi, Rom. viii, 9. Phil. i, 10. i Petr. i, ii. spiritus filii dei, Gal. iv, 6.*  
*spiritus oris christi, 2 Thess. ii, 8. Ies. xi, 4.* Posteriorem adpel-  
landi modum, qui ad christum respicit, si rite atque adcurate ca-  
pere velimus, vt rationes, cur spiritus sanctus dicatur spiritus chri-  
sti, inuestigemus, necesse est. Sunt illae variae ac diuersae; quae ta-  
men, vbi distincte ac iusto ordine enarrari debeant, ad duo genera  
possunt reuocari; ita, vt aliae suum fundamentum in iesu christo ha-  
beant ac referant se ad sanctissimum spiritum; aliae autem in spiri-  
tu sancto contineantur atque ad illius operationes, ad christum  
spectantes, respiciant.

In prioris generis rationibus, quae in christo suum habent fun-  
damentum atque ad spiritum sanctum se referunt, primum locum  
tenet *processio*, dicendumque est, spiritum sanctum eam ob causam  
adpelli spiritum christi, quia non solum a patre; verum etiam a  
filio procedit. Procedere eum omnino a filio, partim nomina spi-  
ritus sancti iam memorata luculenter indicant, ac merito conclu-  
dendi



dendi materiam suppeditant: quemadmodum secunda persona filius patris adpellatur, quoniam a patre genita est; ita spiritus sanctus dicitur spiritus christi, quia ab eo pariter ac a patre procedit, atque ab utroque summi subsistendi modum habet; partim alia scripturarum sacrarum testimonia confirmant. Sic ipse christus de spiritu sancto pronuntiat: *ille me illustrabit, si quidem de me sumer, quæ vobis exponat, Io. xvi, 14. 15.* quomodo autem de filio quidquam posset sumere; nisi ab eo æque ac a patre suam habuisset essentiam? Sic legimus, spiritum sanctum mitti a filio, eadem auctoritate, qua mittitur a patre, *Io. xv, 26. xvi, 7.* ac christum largiri eum, *Matth. 111, 11.* cuius missionis fundamentum ut sit processio, necesse est, quoniam ubi per modum mandati spiritus sanctus mitteretur, non esset verus deus. Immo res ipsa, ac, qui est inter diuinas personas, ordo clare id docet. Satis enim constat, spiritui sancto, ubi ad patrem ac filium referatur, certum conuenire ordinem, ita, ut tertio loco nominetur, *Matth. xxviii, 19. 2 Cor. xiii, 13. 1 Io. v, 7.* nec solum patri et filio iunctim consideratis; sed et singulis postponatur, quando ille dicitur spiritus patris ac filii; siue christi. Ordo hic sane remouetur, ubi processionem spiritus sancti a filio remouere velis. Etenim quum expresse christus testatur, spiritum sanctum a patre procedere, *Io. xv, 26.* etiam necesse est, ut a filio procedat, quoniam hic cum patre eandem habet essentiam, ac per modum subsistendi secundam in diuinitate personam constituit. Hinc si processionem a filio velis negare, aut secundam personam tollere; aut diuersitatem essentia adfirmare debes; neutrum autem esse admittendum, quis non videat? Pro hac diuina auctoritate, quam veritas hæc præ se habet, eandem veteris ecclesiæ doctores tradiderunt suisque confirmarunt testimoniis. TERTULLIANVS\* dicit: *tertius est spiritus a deo et filio:* ATHANASIVS\*\* adpellat spiritum sanctum *ἰδιον τῷ λόγῳ καὶ τῷ πνεύματι τοῦ πατρὸς θεοῦ*, proprium et verbi et patris diuinitatis; filium autem *πνεῦμα τῷ ἀγίῳ πνεύματι*, fontem sancti spiritus.\*\*\* In primis luculentum est testimonium EPIPHANII:\*

A 2

τὸ

\* *aduers. Praxeam cap. viii, p. 640.*\*\* *ad Serapion, tom. 1. oper. p. 207.*\*\*\* *de human. nat. tom. 1. oper. p. 601.*\* *haeres. lxxiv, tom. 1. oper. p. 295.*



τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα, inquit, παρ' ἀμφοτέρων, πνεῦμα ἐκ πνεύματος, at spiritus sanctus ab ambobus, patre quippe ac filio, oritur, spiritus e spiritu. itemque CYRILLI Alexandrini, qui pugnauit pro processione spiritus sancti a filio aduersus Theodoretum Nestorio addictum, atque inter alia \* professus est, spiritum sanctum non tantum patris; sed et filii esse spiritum et quemadmodum procedat ex patre; ita nec alienus sit a filio, quia hic omnia cum patre habeat communia, cuiusmodi plura patrum testimonia DIONYSIVS PETAUIVS, \*\* IO. CASP. SVICERVS, \*\*\* IO. FORBESIVS, \* IO. MICH. HEINECCIUS \*\* exhibent.

Hanc tamen veritatem deserendo, postea græci a doctrina maiorum suorum discesserunt. Quamuis enim illi doceant, spiritum sanctum eiusdem esse essentiæ cum patre et filio hancque ob causam vt verum deum diuino prosequendum cultu: etiam profiteantur, eum esse spiritum filii, qui a filio mittatur, detur, profertur, effundatur: immo nonnulli dixerint, procedere spiritum sanctum a patre per filium; pertinaciter tamen negant, processionem hanc fieri a patre et a filio. Hinc inter ecclesiam latinam et græcam hac de re acriter disputatum fuit, media imprimis ætate, ex quo Photius, patriarcha Constantinopolitanus, latinorum doctrinam impugnabat; hocce autem exemplum postea successores eius, Sisinnius, Sergius, Michael Cerularius sequuti sunt, multique existerunt auctores, qui scripta componerent, atque in illis de processione spiritus sancti aduersus latinos disputarent, cuiusmodi sunt NICOLAVS METHONENSIS, EVSTRATIVS NICAENVS, DEMETRIVS TORNICIVS, NICOLAVS HYDRVNTINVS, ANDRONICVS, MAXIMVS PLANVDVS, NICOLAVS CABASILAS, GREGORIVS PALAMA, DEMETRIVS CYDONIVS, GEORGIVS GEMISTVS PLETHO, alique. \*\*\*

Nec

\* pro XII. capitulis aduersus Theodoretum tom. VI. oper. p. 229.  
 \*\* dogmat. theol. tom. II. libr. VII. cap. 3. p. 367.  
 \*\*\* in Symbolo Niceno-Constantinopol. exposst. cap. XIV. p. 310. 199.

\* instructionib. hist. theol. libr. I. cap. 6. p. 16.  
 \*\* in der Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche part. II. cap. 2. p. 51. 199  
 \*\*\* Ipsa horum græcorum scripta, latinis



Nec recentiores græci aliter sentire ac veritatem amplecti, coeperunt; sed eandem sententiam, spiritum sanctum a patre quidem; minime autem a filio procedere, acriter adhuc defendunt. Patet id ex confessione, cui Parthenius, Constantinopolitanus. Ioannicius, Alexandrinus, Macarius, Antiochenus et Papius, Hierosolymitanus patriarchæ cum multis episcopis et theologis græcis anno cio cio xxxiiii. subscripserunt: quam Nectarius, Hierosolymorum patriarcha anno cio cio lxxii. confirmavit, quamque synodus Hierosolymitana cio cio lxxii. sub patriarcha Dositheo instituta, a tota orientis ecclesia recipi, testata est. Ibi\* enim expresse dicitur: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ πατρὸς, ὡς ἀπὸ πηγῆς καὶ ἀπὸ τῆς δεξιᾶς τοῦ θεοῦ πατρὸς, spiritus sanctus ex solo patre, velut fonte ac origine diuinitatis, procedit: id quod non tantum declaratur; sed et vera doctrina de processione spiritus sancti a patre ac filio diserte reicitur. Idem confirmant IEREMIAS, patriarcha Constantinopolitanus, \*\* METROPHANES CRITOPVLVS \*\*\* et ALEXANDER HELLADIVS\* hancque ob rem THOMAS SMITHVS,\*\* quum de controuersia hac verba faciat, merito scribit: a maiorum suorum vestigijs ne latum unguem discedere, græcis, qui hodie viuunt, religio est. \*\*\*

A 3

Præter

latinis eorumque doctrinæ de processione spiritus sancti a patre filioque opposita recentest LEO ALLATIUS de eccles. occident. atque orient. perpet. consensio. 10. ALBERTI FABRICIUS bibliothec. græc. libr. v. cap. 45. p. 473. et 10. MICHAEL HEINECCIUS in der Abbildung der alten und neuen griechischen Kirchen, eiusque adpendice p. 70. fqq.

\* orthodoxa confession. catholica atque apostolica, ecclesia orient. part. 1. quæst. 71. p. 119. edit. a LAUR. NORMANNO.

\*\* in actis et scriptis theolog. Wirtembergens. et patriarch. Constantinop. Ieremie p. 200. fqq.

\*\*\* confession. catholica. et apostol. in orient. eccles. cap. 1. p. 11. fqq.

\* de statu præsent. ecclesie græc. p. 391.

\*\* de eccles. græc. statu hodiern. p. 134.

\*\*\* Qui vberiore controuersia inter ecclesiam græcam ac latinam de processione spiritus sancti agitatur notitiam sibi comparare velit, consulat sibi, ubi adeat DIONYSIVM PETAVIVM dogmat. theol. tom. 11. libr. 7. p. 362. fqq. GERH. 10. VOSSIVM dissert. 111. de viribus symbolis §. 15. fqq. tom. VI. oper. p. 525. 10. FORBESIVM in instruction. histor. theol. libr. 1. cap. 6. p. 16. fqq. FRID. SPANHEMIVM in elench. controuers. tom. III. oper. p. 919. THOMAM SMITHVM de ecclesia græc. statu hodierno p. 163. fqq. MICHAELQVIEN in dissertationib. Damascenic. diss. 1. FRID. ADOLPH. LAMPE diss. IV. de



Præter processionem in causis, cur spiritus sanctus dicatur spiritus christi, numerandum est huius *meritum*. Quemadmodum enim iesus christus, pro nobis proque peccatis nostris legem diuinam adcurate implendo: mortem, poenæ causa in iudicio diuino constitutam, obeundo sicque iustitiæ dei satisfaciendo id meruit, vt nobis pristinam gratiam diuinam, quæ per noxas nostras erat sublata, in se spectatam recuperaret; ita quoque effecit, vt gratiæ huius restitutæ participes fieri possimus, quumque hoc in primis per spiritum sanctum fieri debet, sequitur ex eo, meritum christi beneficia quoque in se continere, quæ hicce spiritus in nos confert. Sic egregia est analogia inter officium christi et spiritus sancti. Christus suo officio, speciatim sacerdotali, salutis nostræ fundamentum posuit istamque nobis adquisiuit: spiritus sanctus pro ordine salutis diuinitus constituto efficit, vt in veterem dei gratiam recepti, ipsam felicitatem æternam consequamur. Est enim, qui nos omnia ad salutem necessaria capita docet: qui homines ex tenebris ad lucem diuinam ducit, atque in illorum mentibus fidem in christum accendit: qui vires spirituales conseruat atque auget, vt pii in cursu sanctioris vitæ feliciter progrediantur, quine animos illorum, quando calamitatibus sunt adstricti, erigit ac confirmat, prout hoc satis ex scriptura sacra notum est. Quod autem hæc spiritus sancti beneficia christo eiusque merito debeamus, videmus non solum ex ipsa meriti huius indole; sed etiam ex luculentis oraculorum diuinorum testimoniis. Petrus effusionem spiritus sancti a christo deriuat ac qualis huius effusionis causa nexus sit inter patrem ac filium, præclare docet, christum *dei dextera euertum, accepisse promissionem spiritus sancti a patre*, atque ita mox effudisse, quod videbant atque audiebant, *act. 11, 33*. Hinc et Paullus, quando ostendere vult, quem in finem christus nos ab execratione legis liberauerit, id eam ob causam factum esse, tradit, *ὡς τὴν εὐαγγελίαν τῆς πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως, vt promissum spiritum accipiamus per fidem,*

de spiritu sancto. Hicce iungendi sunt  
WOLFG. GYNDLINGIUS in notis ad Eu-  
stratii Ioannidis Ziadowski delineation.  
eccl. orient. græc. p. 54. 10. MICH. HEL-

NECCIUS in der Abbildung der alten und  
neuen griechischen Kirche part. II. cap. 2.  
S. 4. p. 51. et S. 12. p. 63. I. V. KOHLIS de  
eccl. græc. Lutherizant. p. 102. 199.



dem, Gal. III, 14. Ita christus satisfactione sua id quoque meruit, vt possumus habere spiritum sanctum eumque promissum. Facta enim est promissio illius cum in veteri; tum in nouo testamento. Ibi ipse messias dicit: *effundam super domum Dauid et super Hierosolymitanos spiritum gratia et precum et respicient ad me, quem transferent*, Zach. xii, 10. quo et loca Ies. xliv, 3, 4. Ezech. xxxvi, 27. xxxvii, 24. Ioel. ii, 28. spectant. Heic; siue in nouo testamento Ioannes baptista praedixit, christum baptizaturum esse *ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ ἕρῳ*, spiritu sancto et igne, Matth. iii, 11. quae verba quamuis diuersa ratione explicantur; in eo tamen interpretes conueniunt, largiorem spiritus sancti effusionem a christo expectandam indicari. Immo ipse christus promisit, se missurum esse spiritum sanctum, Io. xvi, 7. ac significauit, se dare aquam viuentem, Io. iv, 10. ii. vii, 38. id est, dona spiritus sancti, quae cum aqua comparantur, vti IOSEPHVS MEDER, \* IO. CASP. SVICERVS, \*\* FRID. ADOLPH. LAMPERE \*\*\* et GVIL. ERN. EWALDVVS\* ostendunt.

Porro inter rationes prioris generis, cur spiritus sanctus adpelletur spiritus christi, locum habet eius *missio*, cuius ea est ratio, vt ad filium pariter ac ad patrem, tamquam mittentem referatur. Dicitur ille mitti modo a patre, Io. xiv, 16. modo a patre in nomine filii, Io. xiv, 26. modo a patre ac filio simul, Io. xv, 26. et a filio tantum, Io. xvi, 7. quae varia loquendi ratio diuersis modis considerandi diuinas personas, patrem ac filium, in oeconomia salutis, innititur. Pater enim mittit illum, veluti iudex, qui postquam lytron a christo plene perfolutum erat, declarare debuit, quod nunc homines per spiritum sanctum in pristinam gratiam restituendi essent; filius autem mittendi munere fungitur, quoniam, quum omnia praestitisset, quae iustitia diuina ob peccata nostra postulabat, ei a patre, tamquam iudice, potestas, mittendi spiritum sanctum, omnino concedenda erat, vt beneficia per mortem adquisita in homines posset conferre. Ipsa *missio*, quod vocabulum hac in causa metaphoricam significationem habet, nihil aliud est, quam *donatio* diciturque simul *effusio*, ita tamen,

\* in operib. p. 62.

\*\* in thesuro ecclesiast. tom. II, p. 135.

\*\*\* comment. in Ioann. tom. I, p. 718.

et tom. II, p. 348.

\* in emblem. sacrorum part. I, p. 261. 199.



tamen, vt hæc vox in primis ad aquam, quacum dona spiritus sancti comparantur, atque ad vberiore illorum mensuram respiciat. Hæc ipsa amplior spiritus mensura rationem in se continet, cur donatio hæc in scripturis sacris ita tradatur, ac si ad noui tantum testamenti tempora pertineat, quum et prophetæ istam, vt futuram prædicent; et ipse christus promittat, se missurum esse spiritum. Id enim noui ea ratione intelligendum esse, ac si in veteri testamento fideles spiritum sanctum non habuissent, facile quisque videt. Omnino istum acceperunt; suo tamen modo: sua mensura. Cognouerunt, quæ ad salutem scitu credituque sunt necessaria: christum eiusque merita fide sunt amplexi: per fidei vim pie vixerunt, atque ad sempiternam peruenierunt felicitatem, id quod fieri haud potuisset; nisi illis deus spiritum sanctum dedisset. Attamen donationis huius eiusmodi modus constitutus fuit, vt si istum cum eo, quem deus profapia ac benignitate sua in nouo testamento adhibet, comparare velis, multo inferiorem illum esse, deprehendas. Maiorem enim donorum caelestium copiam deus fidelibus noui fœderis adtribuit: vberiore quippe mysteriorum cognitionem: firmiorem, quem veritatibus caelestibus præbere debemus, ad sensum fiduciamque maius vitæ sanctioris studium: amplio rem in calamitatibus consolationem. Hæcque est singularis fidelium noui testamenti præ fidelibus veteris testamenti *ἑξοχή*, quam prophetæ in multis oraculis prædixerunt, *Ies. xlii, 1. sqq. Ierem. xxxi, 31. sqq. Ezech. xxxvi. Ios. ii, 28. sqq. Zachar. xii, 10.* quam et scriptores noui testamenti haud obscure indicant, vt pluribus *LVDOV. CAPELLVS, \*GOTTF. OLEARIVS, \*\* IO. FRANC. BYDDEVS \*\*\** ostendunt.

Enarratis rationibus prioris generis, cur spiritus sanctus dicatur spiritus christi, accedimus ad posteriorem illarum classem, quæ suum fundamentum in ipso spiritu sancto habent, ac quibusdam illius operationibus, ad christum spectantibus, nituntur. Primum huc spectat opera, quam ad *conceptionem christi* contulit spiritus sanctus. Maria enim non

con-

\* in tract. de ecclesia christiana supra veterem iudaicam prerogatiua, dignitate et excellentia, qui existat in eiusdem comment. et not. critic. in vetus testamentum p. 213.

\*\* in obseruat. ad Matth. p. 329. sqq.

\*\*\* in syntagm. dissertat. theolog. p. 91. sqq.



concepit modo naturali; sed supernaturali, per spiritus sancti *ἐπέ-  
λευσεν*, eum in finem factam, vt vera fieret conceptio, eaque sine semi-  
ne virili ac sine omni labe et peccato, quum non solum massam virginis  
ita disponderet, vt fetus humanus formari ac prodire potuerit; sed etiam,  
quæ plerorumque nostræ ecclesiæ doctorum sententia est, istam san-  
ctam puramque efficeret. Quocirca Maria dicitur *ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐν  
ᾧ συνέματός αὐτῆς*, *Matth. 1, 18.* et angelus *v. 20.* pronuntiat: τὸ ἐν  
αὐτῇ γεννηθὲν ἐν συνέματός ἐστιν αὐτῆς hincque et productio hæc  
veluti noua creatio describitur, *Ierem. xxxi, 22.* Quæ quum ita sint,  
caussa omnino est, cur spiritus sanctus adpelletur spiritus christi;  
minime autem eorum opinio toleranda est, qui spiritum sanctum  
*christi hominis patrem* vocare, non dubitarunt. Quamuis enim di-  
catur de christo, quod secundum humanam naturam sit ex spiritu  
sancto; attamen non ex eo veluti gignente; sed operante tantum  
existit, quod et bene obseruat *AVGVSTINVS.* \* Proposita enim  
questione: *numquid tamen ideo dicturi sumus, patrem hominis chris-  
ti esse spiritum sanctum, vt deus pater verbum genuerit; spiritus  
sanctus hominem, ex qua utraque substantia christus vnus esset et dei  
patris filius secundum verbum, et spiritus sancti filius secundum homi-  
nem?* respondet: *quis hoc dicere audebit?* additque, hoc tam absur-  
dum esse, vt nullæ fideles aures id valeant sustinere, ac quamuis na-  
tus sit ex spiritu sancto; ex eo tamen haud sequi, illum esse filium  
spiritus sancti. \*\*

Ad rationes, quæ secundam classem constituunt, cur spiritus  
sanctus sit spiritus christi, porro pertinet *unctio*. Vinctum fuisse  
iesum christum, satis ex scriptura sacra atque ex ipso, quod habet,  
*messia* ac *christi* nomine constat; nec obscurum est, unctionem hanc  
ei contigisse secundum humanam naturam, quemadmodum *ATHA-  
NASIVS*, *CYRILLVS Alexandrinus* atque alii bene obseruauit. \*\*\*  
Id quod quamuis veluti opus tribus in diuinitate personis commune

B

confi-

\* in *enchirid. cap. xxxviii, tom. vi.*  
*oper. p. 155.*

\*\* adde *HERM. WITSIVM* in *exerciti.*  
in *Symbol. apostol. exerc. xiv. §. 16. p. 241.*

\*\*\* adde *DIONYSIVM PETAVIVM*  
*dogmat. theol. de incarnatione libr. xi.*  
*cap. §. 6, tom. vi, p. 58.* qui et ostendit,

quomodo nonnulli inter veteres eccle-  
siæ patres, *IULIANVS martyr* quippe,  
*AMBROSIVS* atque alii, unctionem chris-  
ti ad diuinitatem eius; alii autem ad  
vtramque illius naturam, diuinam pari-  
ter; ac humanam, retulerint.



considerandum sit; speciatim tamen illud ad spiritum sanctum pertinet, quoniam ipso hoc spiritu vinctus, id est eminentissimis illius donis ornatus fuit. Quocirca de mesia dicitur, quod *vinctus sit oleo lætitiæ præ consortibus suis*, *psalm. XLV, 8.* oleum autem spiritus sancti symbolum in sacris esse, certum est ac patet ex *psalm. XXIII, 5. XCII, II. Ies. LXI, 3. Jerem. XXXI, 12. Matth. XXV, 3. 4. apocal. VI, 6.* siue intelligas oleum commune; siue sanctum atque ad vinctiorem adhibitum, vti pluribus *FORTVNATVS SCACCHVS,\** et *FR. ADOLPH. LAMPE\*\** monstrant. Idem testimonium dixit Petrus ac simpliciter significauit, christum vinctum fuisse spiritu sancto; siue donis illius ornatum: *ἔχρισεν*, inquit, *αὐτὸν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ, ὠνxit eum deus spiritu sancto*, *actor. X, 38.* Immo scriptura facra sine translato loquendi genere rem proprie edisserit, ac vocabulo *ungere* remoto, vocem *dare* adhibet, quum deus pater de mesia pronuntiat: *dedit spiritum meum super ipsum*, *Ies. XLII, I.* et Ioannes baptista testatur, ei datum fuisse spiritum sanctum *sine modo. Io. III, 34.* Quo et ea sacrarum literarum loca spectant, quæ effectus huius vinctiõnis indicant, *spiritum Iehouæ super mesiam quiescere*, spiritum quippe sapientiæ ac prudentiæ: consilii et fortitudinis: cognitionis et reuerentiæ, *Ies. XI, 2. LXI, I.* Tam clavis scripture effatis freti antiquiores ecclesiæ doctores eandem tradiderunt veritatem diligenter, seruatorem nostrum vinctum fuisse spiritu sancto. *IRENAEVS\*\*\** dicit: *iesus vinctus est a patre spiritu; et paullo post: secundum id, quod verbum dei homo erat, ex radice Iesse et filius Abrahæ, secundum hoc requiescibat spiritus dei super eum, et ungebatur ad euangelizandum humilibus.* *AMBROSIVS,\** *si christum dicas*, inquit, *et deum patrem, a quo vinctus est filius: et ipsum, qui vinctus est. filium: et spiritum sanctum, quo vinctus est, designasti.* Hisce addimus *EVSEBIVM,\*\** qui de christo ita loquitur: *τὸ χρίμα ἢ τὸ δῖα σμύρνῃν συνστασὸν, ἀλλ' αὐτῷ δὴ πνεύματι θεῷ τῷ θεοπρεπῆς, μετοχῆ τῆς ἀγεννῆς καὶ πατρικῆς θεότητος ἀπειλήθει,* unguentum non illud ex diuersis speciebus compositum; sed diuina in-

\* *sacror. elaochrismat. myrath. I. cap. 23. p. 110. 199.*

\*\* *exercitat. sacrar. in psalm. XLV. p. 264. 199.*

\*\*\* *aduers. heres. lib. III. cap. 9. p. 184.*

\* *de spiritu sancto lib. I. cap. 3. tom II. oper. p. 609.*

\*\* *hist. eccles. lib. I. cap. 3. p. 13.*



*ingenita ac paterne diuinitatis participatione una cum diuino spiritu accepit.* Hinc et vnctionem hanc christi, per spiritum sanctum factam, patres nonnumquam *inhabitationem* eiusdem spiritus in ipso, eamque plenissimam, ac possessionem adpellant.

Adhæc causam eamque posterioris generis, cur spiritus sanctus sit spiritus christi, constituit *manifestatio gloriosa christi*, ab hoc spiritu facta. Dixerat ipse seruator: ἐνεὶος ἐμὸς δόξα σοι, ille, spiritus sanctus, *me glorificabit*, Io. xvi, 14. id quod etiam, in primis postquam christus omnia, quæ ad salutem humanam recuperandam necessaria erant, gloriose ac feliciter præstitisset, pro hac prædictione verissima euenit. Quæ enim in christo, præcipue in eius officio mediatoris considerato, inest, summam gloriam spiritus sanctissimus manifestam effecit, quum ad spectabili modo in apostolos effunderetur; hac autem effusione non solum christi promissio impleta, ac monstratum est, eum esse verum prophetam; sed etiam sacerdotii perfectio regniq; muneris excellentia confirmata fuit, act. 11, 1. sqq. cuiusmodi manifestationis plura subsequuta sunt genera. Contigit ista per euangelii prædicationem, quæ instinctu spiritus sancti fiebat, atque eo spectabat, ut iesus veluti princeps salutis consummatus omnibus adnuntiaretur, sicque gloria eius fieret manifesta: per tot porro miraculorum in nomine christi operationem: per summam fortitudinem ac constantiam, qua spiritus sanctus apostolos ad omne calamitatum genus atque ad ipsam mortem, pro christo eiusque doctrina subeundam, promptos ac paratos reddidit. \* Sed tamen nemo sibi persuadeat, ad solos apostolos hanc manifestationem spectasse suumque finem in illorum habuisse ætate. Habet ista longiorem terminum: ampliorem modum. Omnino illa adhuc sit, quando spiritus sanctus homines lumine diuino perfundit: in illis fidem in iesum christum accendit: variis donis virtutibusque eos exornat: vires, quas acceperunt, caelestes conseruat, auget. studiaque sanctioris vitæ promouet, ut iesum christum, *dominum gloria*, I Cor. 11, 8. *reem gloria*, psalm. xxiv, 7. rite cognoscant: pio amore prosequantur: alii adnuntient, quanta sit eius laus: quanta gloria, quantumque splendor, psalm. xlv, 2. sqq. atque ipsimet perueniant ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν.

B. 2

\* vid. FRID. ADOLPH. LAMBE *1710*, III, p. 319.  
comment. in euangel. Ioann. xvi, 14.



δοξα, a gloria in gloriam, 2 Cor. III, 18. Quæ si quis rite expendere velit, facili negotio causam videbit, cur ipse spiritus sanctus *spiritus gloriae*, 1 Petr. IV, 14. adpelletur. Est enim spiritus gloriae, non solum, quia ipse aeterna gloria cum patre filioque splendet, ac gloriae, qua per naturalem labem caremus, Rom. III, 23. nobis reparandæ auctor est; sed etiam, quia christum *δοξάζει, glorificat*.

Denique huc spectat *testificatio*, quæ itidem in causis locum tenet, cur spiritus sanctus dicatur spiritus christi. Testis enim est de iesu christo, quod sit verus deus: verus omnium hominum seruator: vnicus nostræ iustitiæ ac salutis auctor, prout Zach. IX, 12. promissus erat, vt *alter index* et 1 Io. V, 7. inter tres diuinitatis testes numeratur: immo ipse christus expresse de eo dicit: *μαρτυροῦσθες ὡς ἐπὶ ἐμοῦ, testabitur de me*, Io. xv, 26. Quod de christo testimonium quamuis iam ante eius tempora, in veteri quippe testamento, dixisset; singulari tamen ratione illud edidit, postquam post resurrectionem in cælum sublatus fuit, adeo, vt aliud testimonium esse generale; aliud speciale, pronuntiare possumus. Illud, quod generale appellamus, omni tempore, atque omni hominum generi, impiorum ac piorum de christo dedit atque adhuc dat, idque per verbum diuinum, siue in sacris scripturis legatur; siue prædicetur atque audiatur; hoc autem; siue speciale, non solum contigit apostolis; verum et omnes fideles id accipiant, quando in eorum cordibus, tamquam in templo habitat: pro diuersa eorum conditione vario modo operatur et semper simul de christo, vnico fidei, vitæ piæ, consolationis spei fundamento, testatur. Hæc atque alia sanctiora de spiritu sancto, CIVES! argumenta diligenter expendere, vos decet, hoc præsertim tempore, si salutis vestræ velitis consulere. Addicti estis religioni christianæ; sed adcurate et sedulo explore: num et spiritus christi in vobis insit; nec ne, sine quo iesum dominum haud vocare potestis, 1 Cor. XII, 3. Quod vbi recte fieri debeat, necesse est, vt cognoscatis, quanta sit spiritus sancti maiestas: quænam eius beneficia: quænam sint illius dona, hæcque in rem templa obeundo, interpretes diuinæ voluntatis diligenter audiendo, ac priuatim oracula diuina legendo contemplan- doque, hos festos dies pie peragatis. P. P. primo die pentecost. anno reparatæ gratiæ diuinæ CIO MCCC XXXVI.

(L. S.)



01 A 65 38

ULB Halle  
002 933 470

3



Sb.









